



Exedræ Ecclesiasticæ Sive Concionvm Moralium ... t. ...

In Dominicis totius anni

Schrötter, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1688

XXX. In Domin. I. Post Pentecost. seu, Sacratissimæ Trinitatis. Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. Matth. 28. Arg. Patria SS. Triados.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56320](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56320)

CONCIO XXX.

IN DOMINICA I. POST PENTECOST.


S E V

SACRATISSIMÆ TRINITATIS.

Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine
Patris, & Filii, & Spiritus S. Matt. 28.

ARGUMENTUM.

Patria SS. Triados.

I.  Na, eademque palmaris superstitionis Gentilitatis cœcitas extitit, ut ignorarent quod colerent; adorarent, quod nescirent. A. Perstrinxit hanc superstitionem assertor noster in Samaritana illa suam jactante religionem & collem Samariæ Sionis jugo præferentem, dicens; Vos adoratis, quod nescitis. q. d. O te simplicem fœminam, & rerum divinarum ignaram! Vos ariolamini Deum esse affixum loco, & eapropter non nisi in vertice hoc litatis; perinde ac si destitutus esset auribus ad audiendum alibi; aut oculis ad videndum; aut potestate ad opitulandum; quum tamen cœlum, & terram impleat, & cœli cœlorum eum capere nequeant. Vos adoratis quod nescitis, nos autem adoramus, quod scimus. Castigavit eandem in Areopagitis Doctor gentium, cum ex fortuito visa in pegmate exarata epigraphæ: *Ignoto Deo*; in eos invectus est: *Viri Athenienses per omnia quasi superstitiones vos video. Præteriens enim, & videns simulachra vestra, inveni & aram, in qua scriptum erat: Ignoto Deo. Viri inculti, viri excelsi animadverto vos non tam vera religione, quam exotica superstitione imbutos. Neque enim notis duntaxat, sed & ignotis Numinibus poplites submittitis, vora nuncupatis, thuraque succenditis. Nemo autem*

Aff. 17. v.
22, 23.

tem

tem prudenter colit, cujus Divinitatem nec fide, nec argumento alio assequitur. Eam ob rem huc veni, quatenus superstitionem vestram in veram commutem religionem, ut pro Diis falsis agnoscat Deus verum, ut pro multis colatis unum; pro incognitis certum, & notum adoretis.

Verum enim vero, si illi censoria digni virgula, quod in tenebris hallucinati sunt ambulantes, aut umbris pro veritate hostias litaverint, profecto innoxii non erunt, qui in luce Evangelii non adorant, quod noverunt, & crediderunt. Ut illorum culpam ignorantia quadantenus extenuat; ita horum ignaviam vel ipsa notitia exaggerat.

Jam verò cui amabo nostrum SS. Triados mysterium ignotum est? Quis non credit in Patrem universi conditorem, in Filium assertorem, in Spiritum S. Paracletum? Quis ignorat Deum unum in natura, & trinum in Personis, summum, atque interminum bonum esse, ex quo omnia, in quo omnia, per quem omnia? Et tamen forsitan rarus est, qui ad eam explicitè colendam singulari studio, ac amore feratur, ipsam corde complectatur, ore laudet, opere ipso concelebrat. Ne itaque deinceps rei hæc in parte inveniamur, stimulis quibusdam perurgere contendam, idque ad majorem ejusdem sanctissimæ, ac individuae Trinitatis gloriam, ac intensioris in eam pietatis incrementum,

§ I.

Primum motivum colenda SS. Trinitatis est creatio.

II. Nullum hic ego pium cultum anathematizare intendo; quin immo & laudo, & commendatum haberi cupio tam cultum supernorum indigetum, & imprimis ferventissimam erga magnam Dei Matrem, Dominam nostram clementissimam pietatem, quam omnem aliam, quo suprema illa Majestas vel in se, vel in suis extollitur.

Expressam tamen inter alia pietatis opera SS. Trinitatis venerationem ipsa imprimis ejus imago, in quam conditi sumus, omni jure à nobis efflagitat. Conditurus enim hominem, non ab alio quopiam rerum creaturam, aut possibilitium specie, aut genere ideam illius mutuatus est; sed à semetipso desumpsit; dicens: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Faciamus illum non ad normam aliorum animalium faucibus terram versus depressis, sed ad imaginem nostram non brutum, sed ratione insignitum, non mortalem, sed & immortalem. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* In quæ verba S. Augustinus: *Nostram dixit, quia conditus est ad imaginem Trinitatis, ut imago Trinitatis, esset homo.* Et certè tam vivis eam lineamentis nobis inaravit, ut eam in creaturis cæteris vix tenuè extet Divinitatis vestigium, in homine illustrissimè resplendeat. Trinitas illa est in unitate naturæ, & homo in una anima tribus nobilitatus præsentis. Deus Pater per intellectum cognoscendo sese, ac possibilitia omnia

SS. Trinitatis cultus commendatus

Homo imago S. Trinitatis. Gen. 1, v. 26

S. Aug. de Gen. ad lit.

producit Verbum, puta Filium, & eum amando producit Spiritum S. haud secus homo intelligendo v. g. sese producit in mente sua verbum intelligibile atque inde in voluntate resultat ejusdem amor. Deus totus est in mundo, & totus in quavis mundi parte; & anima hominis tota in toto corpore, seu microcosmo, & tota in quavis illius parte. Ille omnia in eminenti in se continet, & hic habet esse cum elementis, vivere cum plantis, sentire cum animalibus, intelligere cum Angelis; sicque rerum omnium tam corporali-um, quam spiritualium gradus in excellenti in se complectitur. Quippe ad imaginem Dei factus est homo, ut mundi increati foret icon quæpiam, & ejus infinitæ artis, ac sapientiæ testimonium. *Faciamus ad imaginem, &c.*

Homo conditus in gloriam SS. Trinitatis.

III. Quid autem hoc pacto intendebat Platens divinitissimus? Cur homini cœlestis hic Phidias naturæ suæ insculpsit imaginem? Cur conditus perhibetur homo ad similitudinem Trinitatis? Non cogam hic concilium SS. Patrum, rationes divini indagaturus consilii; vosmet ego consulo, vestrum iudicium efflagito. Dicite quisquamne affabre, sciteque elaboravit opus quodpiam, quin famæ suæ, gloriæque aucupium vel apud Deum vel apud homines præfixum habuerit? Sanè Phidias sculptoniæ artis Patriarcha inclitus, nomen suum clipeo Minervæ eo insculpsit artificio, ut non nisi eo confrecto eradi, obliterarique potuerit. Vos itidem quoniam collimatis in vestris imaginibus, & umbris? Quis illas vel in mnemosynon, vel in monumentum non proposuit. Quo sine hanc B.

Virginis, hanc augustissimæ Trinitatis iconem in hac basilica erexistis? An non in cultum, ac venerationem publicam? Quod si itaque opificum quisvis in suo opere intendit memoriam sui, famam suam, honorem suum; si icon quævis & ipsiusmet adorandæ Trinitatis à vobis propalam in cultum Latreuticum proponitur, quisquamne sibi imaginabitur, alio intuitu imaginem suam nobis insculpsisse Numen, quàm in gloriam, & laudem suam?

IV. Sed quid vestram sententiam innumeris obnoxiam erroribus inquirō; altius mentem attollo, ex ipso Tripode, seu verius oraculo sciscitor, in quemnam finem homo conditus? Et audio: *Omnia propter semetipsum operatus est Dominus. Quemadmodum ipse est origo omnium, ita & finis; in laudem & gloriam ipsius cuncta sunt condita. Opifex horologii magno ingenio, & solertia opus suum elaborat, adaptat rotulas, dentes, pondera, retinacula concinnat; idque in eum finem ut cymbalum resonet. Ad eundem modum cœlum & terra, quæque eorum ambitu continentur, perinde ac horologium quodpiam mira varietate, sapientia, potentia perfecta sunt, quatenus tandem resonaret cymbalum linguæ humanæ, & opificis gloriam evulgaret. *Omnia propter se, &c.**

Ex quo si argumentor: si tota S. Trinitas ad opificium hominis concurrat, eundemque ad imaginem, idemque suam condidit, quid obsecro conlectaneum est, præterquam ut hic eam expressè laudet, re ipsa eam præsentet, omnibusque præferat? Quid reliquum? quàm ut ostendat quisvis se con-

Pr. 16. v. 4.

conditum in gloriam ipsius, intellectu ac fide eandem cognoscat; lingua cognitionis interprete illius adorandam majestatem enaret, voluntate complectatur. Quid consequens? quàm ut actiones nostræ à SS. Trinitatis invocatione inchoentur, & in eam reflectantur; quemadmodum Filius à Patre procedit, & in eundem se reflectit per amorem, qui est Spiritus S. Quid consequens? quàm ut per gratitudinis, cultusque reciprocationem in eam revertamur, prout ipsa est pelagus bonorum omnium, ex quo universa redundant. Id sanè & jus creationis, & imaginis conditio exigit, & debitum nostrum exposcit; cui perfidè contravenimus, si eandem nec colimus, nec invocamus. Itaque ex hoc capite singulariter nos eidem affectos par esset.

§ II.

Motivum alterum renovatio hominis.

V. At gravius solidiusque colendæ SS. Trinitatis fundamentum est, quod conspurcata fœdissimè hac per peccati turpitudinem imagine, & memoria per oblivionem, intellectu per cæcitatem, voluntate per debilitatem violatis, idem cælestis Timantes eam rursus vis suis coloribus instaurare sit aggressus. *Ite, inquit, in orbem terrarum, docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. Tria nomina audis, scribit augustissimus Pater, sed quomodo unum dicitur nomen?*

Non enim dixit in nominibus, sed in nomine? Tria nomina dicit, & quomodo unum ponit? Requiris à me quomodo uno nomine tres appellentur? Nescio & libere me nescire profiteor, quid Christus voluit indicare; hoc solum scio, in hoc Christianus sum, qui unum Deum in Trinitate consteor. Non in nominibus, ait, quia in unitate Deitatis, Personæ non distinguuntur, sed in nomine Patris & Filii, & Spiritus S. ut sola Personarum distinctio signaretur.

Hic percontor rursum an non sufficeret dixisse in nomine Patris solius, aut in nomine cujusvis alterius Personæ, ut expiaremur? Profectò ita, si Domino placuisset, sicque ab eo institutum fuisset. Et tamen disposuit, ut ea expiatio non nisi ab expressa SS. Trinitatis invocatione eveniret; ita ut si vel unius nomen reticeretur, totum baptismum otiosum imò & sacrilegum evaderet. Quorsum obsecro istud? An ut hoc pacto ostenderet Baptismum vim suam habere à Patre æterno mittente se ad nostram redemptionem, ex sanguine suo eundem fertilem reddente, ex Spiritus S. gratia intus vivificante? An solum id eo consilio factum ut sciremus eundem esse Generationis, ac Regenerationis authorem, nempe Patrem, Filium, & Spiritum S. An verò potius ut profiteremur nos toti adorandæ Trinitati initiatos, devotosque?

VI. Æmulatio haud mediocris inter Corinthios exitit colentes, ac præferentes Baptistas suos, cujus

*Baptismus
cur conferatur
in nomine SS.
Trinitatis.*

Mar. 16.

*S. Aug. in
festo S. Trinitatis.*

me-

I. Cor. 2. v.
11. 12.

meminit ipse Apostolus in prima sua ad Corinthios his verbis; *Significatum est mihi de vobis fratres mei, quia contentiones sunt intra vos. Qualesnam illæ? Quod unusquisque vestrum dicit: Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cepha.* Quoniam hic à S. Paulo sacro latice unctus erat, idcirco se selectorem illius, cultoremque gloriabatur. Quod autem alter hanc gratiam à S. Petro, & tertius ab alio retulisset, ea propter hunc potius, quam alium celebrabat. Sic contentio serpebat, & ad schisma populum illum novellum concitabat. Si itaque & nos in nomine Patris, aut Filii solius, aut Spiritus S. ablueremur, forsitan & nos quidpiam humanum pateremur, & ut quondam Corinthii Apostolis magis, minusve; sic nos personis divinis diversimode afficeremur, unam alteri anteponentes. Quid fecit sapientia æterna? Omnes tres personas advocat, quatenus in nomine omnium instituat renovatio, & toti SS. Triadi simus mancipati.

Baptismi
Character.

Greg. Naz.
Or. de Bapt.

VII. More olim receptum erat, ut mancipiis stigmata, suorum Dominorum stemmata præferentia inurarentur, ad dignoscendum cujus essent. & cui ancillarentur. Nobis altiore digito in eodem sacro latice character indelebilis imprimitur, ut ex eo servi unius Dei, ac Trini ab omnibus dignoscatur. Est enim Doctore Nazianzeno Baptismus, quod olim circumcisio sigillum videlicet; quia per eum consignati *cujusnam Domini sumus cognoscimur.* Apud Judæos signum erat circumcisio, quod colerent Deum unum, ac verum in natura; nunc character

hominis Christiani est, quo distinguitur non solum à Gentibus, sed ab ipsis Judæis, quod colat SS. Trinitatem. Etenim ut S. Basilus docet: *SS. Trinitatis mysterium, Christianum, & nostra religionis maxime proprium dogma est, per quod distinguitur à gentilibus, & Judæis, cum hi unum Deum agnoscant in persona unica, illi plures deos ementitos in personis & natura.* Distinguiamur inquam, ut dogmate ita caractere, nequidē in inferni clibano delebili, quo profitemur nos, contestemurque servos, ac mancipia SS. Trinitatis. Ergo si servus quispian emptitius, si stigmaticum mancipium, si is qui Domino suo quoquo modo authoratus est, illius honori, ac commodo velificare obstringitur, multo amplius homo Christianus Deo ac Domino suo obstrictus manet, cujus stigma inaratum circumfert.

3. Basil.

VIII. Insuper obligamur fide explicita credere Deum unum in essentia & Trinum in personis, Patrem nimirum ingenitum, Filium unigenitum, Spiritum S. ab utroque procedentem. Et quorsum istud? Cur nequit apud nos esse vera, perfecta que Divinitatis professio, etsi non credatur in eadem distinctio? Cur non minus de necessitate salutis, ac mediis est, unitatem in Divinitate, quam Trinitatem in Personis profiteri? Num ut fidem otiosam, tanquam gladium in vagina reconditum servemus, nec unquam eo ad pompam sæculi rescindendam, ad dæmonem profligandum, ad gloriam ejusdem adorandæ Trinitati; promovendam utamur? At redarguit hanc opinionem Jacobus Apostolus, dicens:

Iac. 2. v. 14.

cens: *Quid proderit fratres mei, si fidem aliquis habeat, opera autem non habeat? Numquid poterit fides salvare illum, Quid prodest cujuspiam artis præceptorem habere, si præceptis ejus non obtemperes? Quid juvat Medicum consulere, si medicamentis ab eo præscriptis utare? Quid attinet difficilis viæ ducem inquirere, si ducatum illius non sequare? Num ut speculemur profundius hoc mysterium, ea propter jubemur explicitè credere in personis proprietatem, in essentia unitatem? At scimus, quod ait Sapiens: *Scrutator Majestatis opprimetur à gloria.* Non intelligere, aut rimari mysterium illud absconditum jubemur, sed credere & venerari. Scrutari hoc temeritas est, credere pietas est. Incomprehensibilis enim Sapiëntia, altissimaque Majestas intra angustias humanæ rationis coarctari nequit, quæ non nisi per transfennam speculatur divina. Laxius & liberalius cor illa pollet diligere, quam mens intelligere. Consuetudo enim opacorum corporum est, prius calere, quàm lucere. Si ergo nec ardeamus, quomodo lucere poterimus? si nullam rationem divinorum habemus, quomodo rationem divinorum scrutabimur?*

Quo sum itaque obstringimur mysterium illud explicitè credere? Ut nimirum per fidem promoveamur ad spem, per spem ad charitatem ejusdem individuae Trinitatis. Ut nimirum qua fide cognoscimus Patrem æternum nos adoptasse in filios, eadem in spem adeundæ hæreditatis erigamur; qua fide credimus Filium lytro sui nos crucioris præstinasse; eadem veram li-

bertatem nobis conferendam præcipiamus; ut qua fide Spiritum S. Patraletum, ac sanctificatorem profiteamur, eadem nobis datorem spondeamus; & ex virtute spei tandem ad amorem, cultumque ejusdem sacratissimæ, ac individuae Trinitatis provehamur. Hæc certè coronis institutionis Baptismi est, hic finis renovationis nostræ.

S. III.

Medium tertium Reconciliatio.

IX. Jam verò denigrata rursum super carbones hac imagine, eadem rursus pœnitentiæ pennicillo reformatur. Qua ratione? Non alia, quàm SS. Trinitatis interventu. *Trinitas est*, ait D. Ambrosius, *quæ peccata dimittit.* Et S. Ephrem: *Gratiæ Trinitatis remissionem ex nimia sua benignitate præbet.*

X. In confirmationem istius accipio Prophetiam Jonæ elucidandam. Hic Ninivitis evoluta quadraginta dierum spatio, nisi virtute pœnitentiæ criminum sua expiassent, extremam minatus est ruinam. *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur.* Septuaginta quos sequitur S. Ephrem, legunt: *Adhuc tres dies, & Ninive subvertetur.* Magna hujus translationis disparitas à quatuor ad tres descendens. Eam tamen propugnandam assumpsit S. Ephrem, docuitque per triduum pœnitentiæ tempus in lege, & Evangelio determinatum, præfixum esse, quo Numen iratum placari queat: *Tres, inquit, dies Lex, & Evangelium peccatoribus ad pœnitentiam prædicat.*

K k

Ve-

Verum hæc solutio videtur non tam relaxare, quam constringere nondum difficultatis. Numquid enim actum continuò de peccatore erit, si triduum in peccatis perseveret, & non resipiscat? Numquid non promissa est gratia peccatoribus, quacunque hora, vel momento ingemilcentibus. Numquid quadrante solo satis non est cælo lucrando, diluendisque noxis? Numquid non unico suspirio possumus cum Latrone neglecta redimere brevique compendio beatam mercati aternitatem? Si impius egerit penitentiam (ait apud Ezechielem Dominus) ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodiverit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium, & iusticiam vita vivet, & non morietur. Nulla dies, nulla hora certa præscribitur peccatori, quomodo igitur ex mente hujus S. Patris triduum præfigitur, aut qua ratio ea interpretatio legi, aut Evangelio consonat?

Ezech. 18.
v. 21.

Reponit præfatus Pater, se per dies tres non accipere dies solares, sed potius legem gratiæ, & concursum SS. Trinitatis; citra cujus opem, ac gratiam, peccator converti, conteri, indulgentiam peccatorum obtinere ne utquam valeat. Tres, inquit, dies ex præscripto concedantur penitentibus, quoniam per consubstantialem Trinitatem humanitas mortis reatum exuit. Hæc nobis elargitur vires ad passiones edomandas, hæc clementia, ac bonitate sua peccata dimittit, hæc dono gratiæ iustificantis hominem in filium adoptat. Quocirca LXX. Interpretes numerum quadraginta dierum constrinxerunt ad triduum, quò ostenderent neminem posse resurgere à morte peccati

ad vitam, citra gratiam SS. Trinitatis.

XI. Figuram hujus alteram deducit Ireneus ex jubilatione illo solemnè Rahab prostitutæ concessio, per Josue, Assertoris nostri umbram referente. *Sir, inquit ille, civitas hæc (Jericho) anathema, & omnia quæ in ea sunt Domino. Iosue 6. v. 17. Sola Rahab meretrix vivat, cum omnibus, quæ in ea domo sunt.* Erant in illa civitate tot millia virorum, ac mulierum juvenum, ac senam; servorum, & ancillarum; nulli parcitur præterquam scorto huic; aut qui in domum ipsius, perinde ac ad asylum se receperat; ceteri omnes ad internecionem delentur, aut ferro, aut igne. Quid hoc mysterii? aut unde tanta gratia meretrici? An ob id solum, quod speculatores Hebræos tutata est: *abscondit enim nuntios quos direxerat.* Vix credo sufficiens id fuisse motivum, ad conferendum tantum privilegium scorto vilissimo. Quid ergo? D. Irenæus respondet non illam duntaxat extitisse causam, sed quod in iis speculatoribus exceperit, & per fidem edocta, absconderit Patrem, & Filium, & Spiritum S. Credidit enim nuntiis de lege differentibus, & eapropter à morte erepta. Unde quantumvis antehac gentilis extiterit, & fornicaria; tamen quia SS. Trinitatem in corde habuit veniam meruit, & resipuit. Sic enim ille: *Suscepit speculatores, qui speculantur universam terram, & apud se abscondit Patrem, & Filium, & Spiritum S. & cum universa civitas in qua habitabat, concidisset in ruinam Rahab fornicaria servata est: nimirum SS. Trinitatis gratia expiata est. defensa, & salvata. Gratia enim Trinitatis, ut dixi, remissionem ex nimia sua benignitate præ-*

Iosue 6. v.
17.

Ibid.

Iren. lib. 4.
adv. hæret.
c. 37.

præ-

præbet. Verè magnam, ac nimiam, quia cum peccatorem millies fulminare possit; eum nihilominus infinita misericordia sua suscipit, ac complectitur.

Quod si itaque ex inferioribus, levioribusque corporis vinculis exemptos, nos gratos, memoresque assertoribus esse addeceret; quanto amplius Deo, ac Domino nostro infernalibus soluti catastis? Si mortales Mæcenates colimus; immortalibus non defermus? Si illis omnia nostra consecramus studia, an non justius omni affectu, ac devotione SS. Triadem, à quo tanta in nos bona redundant profectui par erit? Exaggeratio enim beneficii exauget obligationem debiti: quantoque insignius illud est, tanto & incrementum istius gravior.

§ IV.

Motivum quartum Ecclesia militans.

XII. Præluxit nobis hac in parte tota prope Antiquitas, quæ pro nullo fidei articulo stetit constantius; in nullo tuendo desudavit laboriosius; in nullo propagando egit ferventius; quam ut hoc SS. mysterium clarius innosceret, firmiusque subsisteret. Hoc illa omnibus suis actionibus præfixit; Trinitatem illa vulgari illa formula in omnibus auspiciis invocavit: *Das walde Gott der Vater/ und der Sohn/ und der H. Geist.* Trinitatem illa semper in ore habuit, semper in corde fovit.

S. Agnes devotio ad SS. Triadem. Lipellio 20. Aug.

XIII. Hanc ut singulari studio coleret B. Agnes de Monte Politiano edocta est ab ipsa B. Virgine, quando oblati eidem tribus lapillis exoticis monuit: Ut quævis illius ædificatio

constantissimæ fidei individuae Trinitatis fundamento niteretur. Ut, inquam, nihil unquam auspicaretur, quod SS. Triadi non consecraret; nihil perficeret, quod in ejusdem cultum non referret, nihil omnino cogitaret, aut diceret; quod eodem quali sigillo non obsignaret.

XIV. Eandem imprimis deventratam esse S. Claram de Monte Falco patuit ex corde ipsius, anatomie arte exempto, & patefacto. Quum enim medium scissum fuisset, in eo tres globuli reperti qui hodie quoque manent & visuntur; quorum ea conditio est, ut duo tantumdem habeant ponderis, quantum tres; & unus etiam nihil minus, quam tres ponderant. Hæc subdit Granateasis oculati testes, iique gravissimi viri non sine magna admiratione viderunt, & pro concione etiam populo exposuerunt, quod fideles & præsentibus miraculis in fide confirmarentur, & Sacrosancta Trinitas pro merito collaudaretur.

S. Clara devotio ad S. Trinitatem

Lud. Gran. Con. 2. de Festo.

XV. Ad stuporem verò excelluit hac in parte P. Franciscus Folianus Soc. nostræ, vir notissimæ sanctitatis, qui SS. Triadem in omni oratione frequentissimè, suavissimèque compellabat, idque non nisi aperto semper capite. Multa de ea commentatus est, sed ita ut nunquam nomen illius, nisi de genibus scriberet, & quidem literis grandioribus elegantique caractere. Inhabitabat Romæ cubiculum triangulare, tribus asseribus prostrato utebatur, in mensa fuscinulam cultrum, & cochlear in formam triquetram disponebat; panem ter erace signabat, tria ex illo frusta scindebat,

Franc. Foliani devotio erga S. Trinitatem. Biblioth. script. J. J.

nunquam pluribus, quam tribus feculis vescebatur. Omnia denique in gloriam unius, ac Trini Numinis peragebat; ita ut tubinde etiam exlecto corde ejusdem honorem, religionem, & amorem, reliqua vestigia satis contestata fuerint.

Discamus ab his si membra ipsorum sumus, & esse volumus eandem devenerari, optemusque ac ingeminemus cum Poeta: *Si mihi sint lingua centum, sint oraque centum*, immo si solus haberem omnium hominum, atque Angelorum ora, ac linguas; illa omnia quotquot, quantaque essent, in SS, Triados doxologiam expromerem, ac effunderem.

S. V.

Motivum quintum, Ecclesia triumphans.

Coelites provocant ad cultum S. Trinitatis.

Isa. 6. v. 3.

S. Ambrosius de fide c. 4.

XV. Discamus vel maxime ab Ecclesia triumphante, in qua unicum hoc f. stum agitur, unica non nisi Trinitas adoratur.

Isaias Vates ad illius superni coetus in extasi evocatus consortium: *Vidit Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum*, ac Seraphinos in umbrata facie obvelatisque alis pedibus, stantes supra illud, & ingeminantes audiit: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum plena est omnis terra gloria ejus.*

D. Ambrosius expendens hunc locum cultum SS. Triados ostensum, ac commendatum adstruit: *Cur trina inquit, repetitio nisi quia Pater, & Fili-*

us, & Spiritus S. sanctitate unum sunt. Non dixit semel ne Filium sequestraret, non bis ne Spiritum praeferret, non quater ne creaturas conjungeret. Et ut ostenderet Trinitatis unam esse Deitatem, cum tertio dixisset, Sanctus, sanctus, sanctus, addidit singulariter, Dominus Deus Sabaoth.

Concinat eidem Cyrillus in haec verba: *Cum sanctus ter dicunt Seraphim, claudunt doxologiam in hoc, Dominus Deus Sabaoth, in una Deitatis natura sanctam constituentia Trinitatem.*

XVI. Idem omnino Trisagion se andivisse testatus est intimus Domini Amanuensis in eodem divorum collegio, a quatuor animalibus mysticis, non habentibus requiem die ac nocte & jugiter in clamantibus: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus omnipotens, qui est, & qui erat, & qui venturus est. Sanctus Deus Pater, sanctus Deus Filius, sanctus Deus Spiritus S. Sanctus (ut vertit Chaldaeus) in caelis excelsis, domus majestatis ejus; sanctus super terram quae est opus potentiae ipsius, sanctus in seculum, & in secula seculorum.*

XVII. Huic Trisagio Graeci, & ex eis Latini addiderunt epitheta sequentia: *Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus & immortalis miserere nobis.* Ita enim hymnus hic sub Theodosio juniore Anno Christi quadringentesimo quadragesimo sexto tempore terrae motus Constantinopoli revelatus est a Deo, ad extirpandam haeresim Eutychemis unam tantum naturam, uti personam in Christo hallucinantis. Nam puerulus parvus in aera raptus ab Angelis eum edoctus, Proclo Archiepiscopo, aliisque enarravit; quatenus eandem doxolo-

S. Cyril.

Apoc. 4. v. 8

Chald.

Damas. sr. de Trisag. Niceph. l. 14 c. 46.

doxologiam conciaendo Dei opem, ac misericordiam implorarent. Quod ut factum, illico pestis, & terræ motus defævit.

XVIII. Hoc itaque est officium, hæc occupatio SS. Angelorum, & Electorum citra interstitutiones ullas Numen optimum maximum collaudantium. Horum societatem si ambimus, (& quis est, qui non exambiat?) cum iisdem concinamus, & identidem Patrem, Filium, ac Spiritum S. collaudemus. Sanctus, sanctus S. Dominus Deus Sabaoth. Sanctus in cælo, sanctus in terra, sanctus in gehenna, sanctus in gloria, sanctus in gratia, sanctus in iustitia. Sanctus glorificans Angelos, sanctus justificans homines, sanctus excrucians demones. Sanctus ante sæcula, sanctus in sæculis, sanctus in æternitate, Sanctus in potentia, sanctus in sapientia, sanctus in providentia. Sanctus Pater in creatione mundi, sanctus Filius in redemptione, sanctus Spiritus S. in nostra beatificatione. Sanctus Pater

à quo omnia; sanctus Filius per quem omnia, sanctus Spiritus S. in quo omnia. Sanctus, sanctus, sanctus Deus in omnibus, & super omnia benedictus.

Vel vulgatum illud à S. Ignatio Martyre identidem iteremus. *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto.* Gloria Patri qui creavit nos, gloria Filio, qui redemit nos, gloria Spiritui S. qui sanctificavit nos. Gloria Patri ingenito, gloria Filio unigenito, gloria Spiritui S. Paracletio. Gloria Patri cuius est potentia, gloria Filio, cuius est sapientia, gloria Spiritui S. cuius est beneficentia.

Vel minimum ante actiones nostras mane imprimis surgendo, vesperi cubitum concedendo signum sacrosanctæ crucis fronti ac pectori imprimimus, SS. Triadem invocantes, & eodem contestantes, nos ad imaginem illius conditos, nos gratia ejusdem reformatos, nos eidem in tempore

& in æternitate mancipatos. Amen.

